Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

baptismi regeneratione peccata sua septiformi
sancti spiritus gratia emundat. Septem quippe sunt laua
tiones. quibus fidelis quisque uere ad dominum conuersus.
preterite pollutionis in se expiat sordes. peniten
tia cordis. confessio uocis. instantia satisfactionis.
perseuerantia pie conuersationis. opus gemine dilec
tionis. studium orationis. et exercicium meditationis.
His igitur .vii. lauationibus emundatur. qui mundo mo
riens. Christo uere in baptismi sanctificatione consepelitur.
Iuxta sermonem uiri dei. iuxta sermonem redemp
toris in euangelio dicentis. Qui crediderit et baptiza
tus fuerit. saluus erit. Caro neaman restituitur. sicut
caro pueri paruuli. quia fidelis quisque in sanctifica
tione baptismi. similitudinem recipit Christi. Ipse enim
per puerum intelligitur. de quo propheta loquitur. Puer
natus est nobis. et filius datus est nobis. Qui recte
paruulus uocatur. quia cum sit magnus et excelsus
super omnia. filius dei per assumptam humanitatem. infra
omnia humiliatur. Sic neaman mundatur. quia sic
gentium populus. uel fidelis quisque. per baptismi sanc
tificationem. ad Christi similitudinem reformatur. SEQUITUR.

REVERSUSQUE ad uirum dei cum uniuerso comi
tatu suo. uenit et stetit coram eo. et ait. Uere
scio quod non sit deus in uniuersa terra. nisi tantum in israhel.
Obsecro itaque. ut accipias benedictionem a seruo
tuo. At ille respondit. Uiuit dominus ante quem
sto. quia non accipiam. Cumque uim faceret. penitus non
acquieuit. Dixitque neaman. Ut uis. Sed obsecro.
concede mihi seruo tuo. ut tollam onus duorum bur
donum de terra. Non enim faciet seruus tuus ultra holocaus
tum aut uictimam diis alienis. nisi domino. Hoc autem
solum est. de quo depreceris dominum pro seruo tuo. Quan
do ingreditur dominus meus templum remmon ut adoret.
et illo innitente super manum meam. si adorauero
in templo remmon. adorante eo in eodem loco.
ut ignoscat mihi dominus seruo tuo pro re hac. Qui dixit
ei. Uade in pace. Abiit ergo ab eo. electo terre tempore.

NEAMAN ad uirum dei cum uniuerso comita
tu suo reuertitur. cum populus gentium. cum doctori
bus. continentibus et coniugatis fidelibus. filium dei pro
redemptione mundi. debitis gratiarum actio
nibus prosequitur. Uenit per fidei deuotionem. stat
coram eo per spei constantiam. ait per dilectio
nis perseuerantiam. Uere scio. quia uere scientie
eruditionem per spiritus sancti gratiam habeo. Quod non sit
deus in uniuersa terra. quia ibi deus nec ueraciter cog
noscitur. nec ueraciter colitur. ubi amor terrenorum
celestibus preponitur. Nisi tantum in israhel. quia ab
his uere deus diligitur et colitur. qui per mundi
tiam cordis ueri israhelite efficiuntur. Neaman
obsecrat. ut heliseus a se benedictionem acci
piat. cum populus gentium Christo in suis predicatoribus.
a quibus spiritualia recipit. carnalia bona et
transitoria. uoluntaria oblatione immolat.
Heliseus respondet. cum Christus in Paulo gentium
deuotioni contradicit. Uiuit inquit dominus.
quia uita est uiuens in se. qui me misit pater deus.
Ante quem sto. quia eius dispensationi in redemp
tione generis humani. per assumpte humani
tatis humilitatem deseruio. Quia non accipiam.
quia in meis discipulis aurum uel argentum pro euangelii
predicatione non suscipiam. Heliseus uim faci
enti penitus non acquiescit. quia Christus in Paulo a
gentium populo. sumptus euangelii suscipere non con
sentit. Neaman helisei uoluntatem appro
bat. quia gentium populus in Paulo. continentie
districtionem collaudat. Sed obsecro inquit.
concede mihi seruo tuo. ut tollam onus duorum
burdonum de terra. Quia burdo ex equo et
asina nascitur. non incongrue in duobus burdo
nibus figura spiritus et carnis accipitur. quia in equo
uelocitas spiritus. in asina tarditas carnis expri
mitur. Onus duorum burdonum de terra tollitur.
cum uera salus spiritus et carnis de redemptione
humanitatis Christi conquiritur. Quod neaman
sibi ab heliseo concedi obsecrat. cum gentium
populus. uel fidelis quisque uere conuersus. die
noctuque dominum expostulat. ut in redemptio
ne humanitatis Christi. ueram sui spiritus et corporis
saluationem. quandoque inueniat. Non enim